

Bx 1935
R 45
V. 4



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

LECTORI BENEVOLO

Ineunte hujusce quarto volumine novæ editionis *Juris canonici universi*, ab Anacleto Reiffenstuel conscripti, ornatissime lector, nec authoris præfationem nec testimonia consueta deprehendes. Cum ex Titulis sexto et sequentibus usque ad trigesimum inclusive libri Tertii Decretalium volumen istud unice conflatur, memorata præfatio testimoniaque, ad eundem librum tertium spectantia, in fronte nostri voluminis tertii jam impressa, non debuerunt recudi denuo. Exinde paginam hanc quasi vacantem documentis infra relatis adjudicare opportunum duximus, litteris scilicet a R. D. Victore Pelletier, Ecclesiæ Aurelianensis canonico capitulari, ad Sanctissimum Dominum Nostrum Pium PP. IX, anno MDCCCLXV directis, et de mandato Sanctissimi ad prædictum canonicum rescriptis. Quæ litteræ non tantum scriptorem hunc, qui Adnotationes in opus Anacleti Reiffenstuel adjiciendi curam suscepit, ejusque libros satis commendant, quorum mentio sæpius in prædictis Adnotationibus, præsertim in hoc quarto volumine, Titulis scilicet: IX, *Ne sede vacante aliquid innovetur*; X, *De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli*; XI, *De his quæ fiunt a majori parte capituli*, juxta rerum concordiam invenitur; sed etiam Sedis apostolicæ mentem circa regimen capitulis Galliarum, anno MDCCCII perperam impositum, apertissime declarant. Tenor autem illarum litterarum hic est:

« Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX.

» Beatissime Pater -- Ex quo, decurrente scilicet anno MDCCCLI, in canonicum
» insignis Ecclesiæ cathedralis Aurelianensis in Gallia fui cooptatus, ad omnia quæ
» sacri canones necnon constitutiones apostolicæ circa ordinem canonicalem salu-
» briter sanxerunt animum adhibere statui et reipsa, qua licuit, adhibui. Unde ca-
» pitulorum nostrorum præsentem statum, a legibus Ecclesiæ in multis discrepan-
» tem, non sine admiratione et dolore cordis inveni. Porro, dum de rebus sane lu-
» gendis cum plurimis eximiæ notæ viris ore litterisque verba facerem, iidem quasi
» unanimi suffragio ad conscribendum gallico sermone librum cui titulus: *Des*
» *chapitres cathédraux en France devant l'Église et devant l'État*, memetipsum im-

007585

» pulerunt; quod opus in lucem prodit Parisiis, apud Jacobum Lecoffre, anno
» proxime elapso.

» Interea insignis capituli Ecclesiæ Niciensis regimen prosperum felicemque sta-
» tum funditus evertere inimicus homo conabatur, et, successu temporis, res ejus-
» dem capituli, renitentibus licet canonicis sacrisque canonibus, ia pejus devene-
» runt. Quæ omnia in recentiori libello, cui titulus: *Mémoire pour le chapitre cathé-
» dral de Nice*, fideliter et caute narravi, calamumque pro sacris canonibus oppor-
» tune tuendis iterum arripui.

» Hæc igitur duo scripta, Beatissime Pater, ad pedes Sanctitatis Vestræ afferre et
» deponere volui, in testimonium integræ submissionis et obedientiæ quam erga
» Sedem apostolicam, Deo auxiliante, semper professus sum ac etiamnum pro-
» fiteor.

» Interim, Beatissime Pater, Sanctitatis Vestræ obsequentissimum devotissimum-
» que filium me scribo — Dominica in Ramis palmarum, die 9 aprilis MDCCCLXV
» — Victor PELLETIER, canonicus Ecclesiæ Aurelianensis. »

« Illmo et adm. Rndo Dno Dno Obsmo Domino Victori Pelletier, canonico Aure-
» lianensi, Aureliam.

» Illme et adm. Rnde Dne Dne Obsme.

» Ex epistola tua Sanctissimus Dominus Pius IX, plane assecutus propositum
» oblatorum operum, quæ *De capitulis cathedralibus Galliarum coram Ecclesia et im-
» perio*, et, *Pro juribus capituli cathedralis Niciensis* exarasti, ea amantissime excepit.
» Ac optimi consilii fuisse duxit sic te contulisse normam a sacris canonibus præ-
» stitutam hujusmodi collegiis cum legibus a civili potestate eisdem impositis ut pa-
» teat quam hæc inter se dissideant, quam aperte imperantium placita deflexerint
» ab ipsa indole moralium istorum corporum, quam injuriose invecta fuerint ea
» placita, quantamque perturbationem ingesserint. Quamobrem, etsi gravissimis
» curis implicitus nondum volumina tua versare potuerit, tecum gratulatur quod
» sacerdotali libertate Ecclesiæ jura propugnanda susceperis, atque ita obvertendas
» oculis constitutionum ejus sapientiam et adversorum moliminum imprudentiam
» ut intelligi facile possit civilem potestatem perperam semper ecclesiasticis sese
» rebus inmiscuisse; clerique esse, et præsertim præcipuorum Pastorum, integras
» inviolatasque servare ac pro viribus tueri sacrorum canonum sanctiones. Faxit
» Deus ut labor tuus et imperitis lucem afferat et potentiorum assentatores conti-
» neat. Id tibi ominatur Sanctissimus Dominus qui peculiaris benevolentiæ suæ pi-
» gnus apostolicam benedictionem tibi peramanter impertit.

credito mihi munere functus, gratulationes

» que æstimationis et observantiæ sensus, ac tibi fausta omnia et salutaria adprecor
» a Deo.

» Tui, Illme et adm. Rnde Dne Dne Obsme — Romæ, die 10 maii MDCCCLXV
» — Addictiss. obsmus famulus Franciscus MERCURELLI, Ssmi D. N. ab epistolis
» latinis. »

ERRATUM

l. 1, lin. 8, lege: omnemque judicem ecclesiasticum excludat sicut judex....

DOCUMENTA

QUARTO TOMO EDITIONIS ROMANÆ PRÆFIXA

PRÆFATIO AD LECTOREM

Noli mirari, benevole lector, quod post tres præiores hinc quartus tomus tam sero sequatur ; quia non culpa auctoris, sed alia causa operis jam perfecti typum retardavit. Modum, et ordinem, stylum, claritatem, brevitatem, ac doctrinæ securitatem reperies similem prioribus. Annexa eidem etiam fuit a pluribus desiderata Appendix utilissima, continens brevem, sufficientem tamen, et elaram theoriam, et praxin de dispensatione super impedimenti matrimonii, et petendi debitum conjugate, nec non de revalidatione matrimonii, invalide contracti, ex qua Appendice quis faciliter clare et breviter in promptu habet, qualiter in praxi dispensatio tam pro externo, quam interno foro, sive apud curiam Romanam, sive apud episcopum procurari, et qualiter executores deputati eam rite exequi, qualiter item conjuges putativi obtenta dispensatione matrimonium nulliter contractum secure, et caute revalidare possint, ac debeant. Que omnia cum seitu utilissima sint, et necessaria, utpote in praxi jugiter occurrentia, non raro plurimum servient, et gratum erit, ea clare, secure et practice in compendio habere ad manum. Pro majori commoditate præmittitur utriusque tam tomi videlicet, quam Appendicis elenchus titulorum, paragraphorum, et questionum, et cuius

lectione in temporis angustia facile invenies quod cito scire desideras. Cæterum interum repeto ea, quæ in primis tribus tomis te monitum volui, adjunctis denuo humillimis precibus, ut errores typo communes, ob aliorum concurrentium negotiorum copiam, quæ revisionem, et correcturam typi e prælo venientis prohibuit, benigne excusare, et ipse emendare digneris.

FACULTAS ET CENSURA ORINARIL. — Cum Juris Canonici tomus quartus Rev. P. Anacleti Reiffenstuel, ordinis Minorum S. Francisci reformatorem theologi jubilati, etc. a theologis perlectus, nihil fidei orthodoxæ aut bonis moribus contrarium contineat, sed imo ob claram methodum, sententiarum gravitatem, et rationum subtilitatem, jus dicentibus, et in utroque foro versantibus, apprime utilis futurus sit: ideo, ut publicam lucem videre possit, licentiam et facultatem concedimus, ac impertimur. In quorum etc. Frisingæ, die 12 Maii 1710. — FRANCISCUS ANTONIUS BEGNUDELLIUS BASSUS, SS. theolog. doctor, canon. capitul. S. Scholasticæ, vicarius generalis et officialis.

LICENTIA ET APPRÆBATIO ORDINIS. — Fr. Matthæus a Sancto Stephano, SS. theologiæ lector jubilatus, ac totius ordinis S. P. N. Francisci minister generalis et servus, dilecto nobis in Christo R. P. F. Anacletio Reiffenstuel, lectori jubilato et concionatori nostræ reformatæ provinciæ Bavaricæ, salutem et omne bonum.

Cum juxta apostolicas, nostrique ordinis constitutiones, per idoneos censores revisum fuerit opus quoddam a te compositum, cujus titulus est: *Jus Canonicum juxta Titulos quinque Librorum Decretalium in Quæstiones distributum, etc.* tenore præsentium, ad salutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus servatis servandis illud typis mandare valeas. Datum Romæ, die 10 Aprilis 1700. — FR. MATTHÆUS a S. Stephano minister generalis. — De mandato S. P. Reverendissimæ, FR. PETRUS ab Urbino, secretarius generalis.

CENSURA THEOLOGICA PRIMA. — Cum quartus Juris Canonici tomus R. P. Anacleti Reiffenstuel, ord. Min. S. Francisci reformatorem, nec fidei, nec bonis moribus quidquam contrarium contineat, et de reliquo a prioribus in nullo degeneret, censuram, et encomium pro tertio tome datum, pro hoc iterum repeto, eumque, ut

pro communi utilitate in lucem publicam prodeat, dignissimum censeo. Datum Landshuti, 5 Martii 1708. — FR. FLORIDUS MOSMILLER, ord. M. S. Francisci reform. lector jubil. et provinciæ custos actualis.

CENSURA THEOLOGICA SECUNDA. — Tomum hunc quartum Juris Canonici Reverendi Patris Anacleti Reiffenstuel, de mandato superiorum accurata diligentia perlegi, et sicut tam in perspicuitate quam soliditate per omnia cum præcedentibus symbolizantem inveni, ita ob cultam ordinis et methodi amabilitatem, firmam doctrinæ securitatem, optimam cum primis orthodoxæ fidei et morum principiis concordantiam, fidelem legum, canonum, constitutionum pontificiarum, decretorum, et declarationum allegationem, et maxime, ob illustrem ad exquisitissimam praxin manuductionem, dignissimum censeo, qui ad publicum christianæ reipublicæ emolumentum, immortalæ auctoris memoriam, et insignem assidue in quotidianis causis, et casibus matrimonialibus laborantium consolationem, publico prælo committatur. Datum Frisingæ, die 14 Maii 1710. — FR. ALBERTUS REIFFENSTUEL, ord. M. S. Francisci reform. lector jubilatus, et SS. canonum actualis.

DIE 7 NOVEMBRIS 1831. — REIMPRIMATUR. — FR. DOMINICUS BUTTAONI, Ord. Præd. Mag. S. Pal. Soc. — REIMPRIMATUR. — JOSEPHUS DELLA PORTA Patriar. Constantinop. Vicesg.

ERRATA

Pag. 4, col. 2, lin. 12 lege: Professionis in Societate Jesu.

Pag. 4, col. 2, lin. 32, adde: ADNOTATIO I, ad calcem hujusce voluminis.

Pag. 458, col. 1, lin. 17, lege: Non probatur obligatio abstinendi a debito, sed potius obligatio illud, etc.

Pag. 486, col. 1, lin. 39 et 40, lege: Matrimonium impediatur.

Pag. 666, col. 1, lin. 5, adde: ADNOTATIO CVI.